

*Accipe funeream, pullata Camæna, cupressum!*  
*Quid gemitus cieo, atq; iterum illat abile murmur?*  
*MEZRADIO in calis agitur, sine nubibus, ævum:*  
*Salvifica buc Illum pietasq; fidesq; locavit,*  
*Atq; animus scelerum vindex: acerrimus osor*  
*Infamis secli, Tutor justiq; boniq;*  
*Hac ornant vitam, & post tristia fata coronant.*  
*Verte, Camæna, modos: victori porrige laurum:*  
*„Non illum planctus decet, aut infanda cupressus,*  
*„Quem super æthereos sua Virtus extulit orbes.*

F. Berhan. ad Oderam

Caspar Dornavius.



CASPARIS DORNAVI  
 EQUES CHRISTIANUS,  
 hoc est,

DE VITA ET MORTE

MAGNIFICI AC GENEROSI

VIRI,

D. N. HIOBI à SALZA,

TOPARCHÆ EBERSBACHÏ ET

MAJORIS CRAUSCHÆ

&c.

II. CÆSAR. AUGUSTISS.

CONSILIARI &c.

PANEGYRICUS PARENTAL.

Bethaniæ ad Oderam dictus.



T. Y. P. I. S

JOANNIS DORFERI.



D. O. M. S.  
G E N E R O S I S V I R I S ,  
DN. HIOBO, DN. FRIDERICO,  
DN. F A B I A N O  
F R A T R I B U S A S A L Z A ,  
E B E R S B A C H I E T M A J O R I S C R A U S C H Æ  
D O M I N I S & c.

F A U T O R I B . E T A M I C I S M E I S  
E X S U C C E S S I O N E H Æ R E D I T A R I A  
O F F I C I O S E C O L E N D I S ,

H O C  
S A L C I A N I N O M I N I S  
M O N U M E N T .

I N M E M O R I Æ T E M P L O C O N S E C R A T .  
M I T T E B .

C A S P A R D O R N A V I U S  
*desig. na) xdem.*



426432

## Viri Generosi,



IGNUM est memoratu, quod ex antiquitate Romanorum accepimus: Valerium Publicolam, Vindicem libertatis patriæ, Junii Bruti collegæ corpus, cum ipse atratus incederet, proposuisse in foro; splendidè in lecto ornatum: cumq; populum ad concionem convocasset; suggestu, conscendo, manibus fortissimi prudentissimiq; Viri oratione funebri parentasse. Hic ritus, sive tum primò originarius, sive novo illustriq; exemplo repetitus, posteris Romanorum seculis frequens fuit ac solemnis; ipsis quoq; legibus duodecim Tabularum sancitus atque comprobatus. Sapiens profectò, non fallor, consuetudo! ipsi verò Romani & prudentiores debent & æquiores in hoc opere judicari Atheniensibus. Hi enim etsi pro funere non dedignabantur mortuos Penegyricis: eos tamē, potissimum ornabant laudibus; qui bello cæsi, sepulturæ mandabantur: ex una tantum Virtute, quæ in extremo vitæ punctistitio apparebat, existimantes, Virum bonum, licet toto vitæ procursu exstitisset nequam, esse judicandū. Romani non erant perinde animati; qui funerandos laudabant omnes; quā Mar-



te, quâ Arte claros; bene de Rep. in sago, in toga meritos; bene meritos de Ipsissima & quacunq; tandem Virtutis majestate; cùm sic animos inducerent suos: omnes vitæ partes, quas Virtus commendârit, non clausulâ tantùm, eamve militarem, eulogiis cohonestandas esse. Ex quo facilè apparet: τὸν μακαρίτην parentem Vestrum laudari potuisse, fatis functum, etiam in media florentissimaq; Roma; quæ olim

*Nihil par habuit, nihil secundum.*

Atq; ego dignitate ejus permotus, & meâ pietate, paucis complexus sum, ex copiosissima segete; quæ de optimo Vestro Parente dici, spargique adeò in Orbis terrarum memoriam sempiternam possint. Addidit suum quoq; aliquod indicium adfectus posthumi in Parentē Vestrum, Magnif. & Nobiliss. Dn. Tobias de Schvvanenseh & Bregoschitz, cognomento SCULTETUS; ut amicitiam, quæ Illi cum vivo intercessit, fore immortalem testaretur. Quæ mens animi itē fuit Clariss. Virorum Pari, Liebigio & Exnero: Vestris nostrisq; item amicis preciosis. Ac mea quidē splendore Verborū non apparent convestita satis: sed à Veritatis præsidio abundē sunt communita. Quorsum autem pomposum aut cerussâ fucatū dictionis mangonium? Veritas gaudet veste simplici. Addo etiam;

quæ in foro pro Rōstris olim instituebantur Orationes Parentales; testimonii, ut Tullius ait, brevitatem habebant nudam atq; inornatam. Superest, ut Vos rogem, Hæredes Nobilissimi: dignemini hunc adfectum meum in Illustrem Vestram Gentem, inque Patrem beatissimum, quo amiciores ex Nobilitate Lusatiæ haud quemquam habui, eodem admittere animo; quo à nobis, obstetricante Minervâ, utcunq; propitiâ, pio tamen sinceroq; proficiscitur. Quod à Vobis me facilè impetraturū spero: si illud existimetis pulchrum: quod Suada Isocratica inculcat; quodq; Vos ultrò facitis: nō dedecere eos, qui paternas & facultates & Virtutes faciunt suas, paternas quoque amicitias, quasi hæreditario iure adire atque tueri. Quâ spe, imò fiduciâ Deum veneror: ut prosperrimā Vobis largiatur sanitatem; sed & longos Vitæ annos: quò lætissimâ occasione exercendæ omnigenę Virtutis, cui sub utraque Pallade militatis, majorum paternumque decus immortale ad posteros transmittere, novâ subinde accessione laudis, valeatis. Sic voveo; sic Vos valere opto. Bethan, 11x, Novem. an. MD. 10 CXIX.

MEMO-



M E M O R I Æ  
Generosi & Nobilissimi Viri Dn. HIOBI  
de SALZA, Toparchæ in Ebersbach &  
GroßGrauscha etc.

Amici olim honorandi.

**E** T TE, SALZIADUM decus & tutamen, HIOBE,  
Tempore fortè tuo; Patria sed Tempore iniquo!  
Abstulit atra dies? nec spectatissima Vita  
Integritas; Pietasq; animi; neq; plurima dona  
Musarum & Charitum, Themidis Poethisq; diserta  
Invida Parcarum sciverunt sistere fata?  
Hei mihi, quale decus iterum LUSATIA perdis!  
Non sat erat, MEZRADÉ tuos viduasse Penates  
NOSTICIIG; domum, Mortem? (duo funera, vitâ  
Digna immortalis!) nisi nunc superadderet unâ  
SALCIADÉ meritis magnum, Proavig; potenssem?  
Heu triste augurium! vicina in limite terra  
SCHULENBURGIADÉ fatum lacrumabile plangit  
Patria! nec SCHONAICHIADUM Par nobile Emptum.  
Evitare necis potuit rigidissima jura!  
Quid referam Egregium DONAVI à stirpe Baronem?  
ZEDLITIUM quid GLOGATIUM? carumq; VOLAVÆ  
NOSTICIUM? nec TE, Praeses memorande Silesæ  
BURGHUSI, Camera; Patria stella incluta; rerum  
Heu quondam Columnen, decus & Tutela mearum!  
Commemorem siccis oculis! dignissima luce  
Pectora longevâ; Patria Communis Atlantes,  
Queis olim salvâ stabat Respublica salva,  
Omnes! quos Omnes unius Circulus Anni  
Eripuit terris, & funere merse acerbo.

Illis

Illis parva quies super alta palatia Cæli;  
Nobis accisa vix est spes ulla salutis!  
Cadibus & flammis propius grassatur ad Eurum  
Hostis! ad Austrum etiam sedit Furiæ Enyo!  
Et malè pacatas vasto ex Aquilone cohortes  
Horremus! pendentq; levi Nostra omnia filo!  
Magne Potensq; DEUS; cujus Misericordia Finem  
Non habet; ad nostras tandem Te verte querelas!  
TU Regum in manibus cor habes! TU pectora versas!  
TU Mare, TU Terras; TU Cælum numine complas!

Tobias de Schvvanensche & Bregoschitz  
cognom. SCULTATUS; Hereditarius in  
Hirsfelda: II. Roman. Cæsarum Consilia-  
rius & Comm. Augustalis Palatii Comes,  
Regiq; per Silesiam & Lusatiam Infer.  
Fisci Patronus & Jureconsultus.

Ad Nobilissimum Dn. HIOBUM à SALZA, &c.  
Optimi Patrû, Optimum Filium.

**E** st pręgrande nefas, latari morte suorum:  
At pręgrande nefas alio est id tempore; non hoc.  
Heu quot nos miseros, heu quanta pericula cunctos  
Undiq; circumstant! nec cernitur ulla malorum  
Meta; alia ex aliis in fata subinde vocamur.  
Ergo ô felices omni-que ex parte beatos,  
Queis licuit placidâ sua lumina claudere morte!  
Omnibus hisce malis sunt, omnibus hisce periculis  
Erepti: simul & Cœlesti sede triumphant.  
Et Te IOBE, Tui Generis Columnen-que Decus-que  
Præclarum, nactus securam morte quietem  
Patre, dolori acri multum indulgere juvaret?  
Haud fas est: fas est potius persolvere grates

JOVE



I o v æ, quodd patrem clarum pietate, periclis  
Omnibus eripuit, tutâque in sede locavit.  
Hoc opus in I o v a m est simul & pietatis in Illum.  
M. Adamus Liebigius Bethanie nfi  
Ecclesiæ Pastor.

### Tumulus

HIOBI à SALZA &c.

**Q**uis dormiat sub hoc sepulcro nobili;  
Quis plangat istud ad sepulcrum nobile;  
Custodiat quis hoc sepulcrum nobile:  
Noli, Viator, queritare pluribus:  
Dormiat heic HIOBUS ille-SALCIUS.  
In his duabus, crede, dixi vocibus,  
Quicquid potest Pallas, Themisque dicere:  
In his duabus, crede, dixi vocibus,  
Quicquid potest Phœbus, Charisque dicere:  
In his duabus crede, dixi vocibus,  
Quicquid potest PROBUM, PIUM Q; dicere,  
Ipsumque MONESTUM. Namq; HIOBUS SALCIUS.  
Heic Palladis decus, Dicisque gloria,  
Phœbique magmentum, & triformis Gratia,  
Atque aurea virtutis aureum jubar,  
Speculumque Honestatis, probique peioris  
Spectamen, & Pietatis enthea entheus  
Cultor fuit, nostro sub Orbe dum fuit.  
Hunc ergo lugens Pallas atque Gratia,  
Et Phœbus & Virtus, Themisque Regia:  
Custodiunt ergo hoc sepulcrum nobile,  
PROBITAS, HONESTAS atq; PIETAS astra.  
Hæc ergo, dum nosti, viator, omnia:  
Ver æternum comprecare morituro,  
Memorque temporis novissimi, hinc ABI.

Balth. Exnerus de Hirschberg,  
ga, Profess. Historicus.



## CASPARIS DORNAVI

EQUES CHRISTIANUS.



Tsi pietatis est nostræ, fa-  
teri ingenuè: Dei in nos amorē  
flagrare sine mensura, fundo ac  
limite; tam latè ubiq; quā Deus  
ipse patet, diffusum: vicissim ta-  
men & illud inficiabitur nemo  
cordatus; quod veriverbio omnis  
ætas comprobavit: nullam esse  
calamitatem solam: quoniam

*Ordo catenatus, seriesq; implexa malorum est.*

Si enim hujus duntaxat anni, qui elapsus dudum, reco-  
limus memoriam; inde usque repetentes, & ab his pro-  
vinciis vicinis exorsi: cum alia deprehendimus grassari  
mala publicitus: tum inprimis nos terrent meritò dies  
emortuales tot tamq; illustrium Virorum: ut nesciam;  
nostrane tempestate ullus annus tam seralis exitiosusq;  
fuerit. Facta est hæc jactura in excellentissimo Fratrum  
pari; JOANNE GEORGIO, & secuto annò GEORGIO,  
SCHÖNAICHIIS: quorum ille incredibili candore,  
prudentiâ, pietate gratus Principibus, utilis Patriæ, bo-  
nis omnibus: hic iisdem ornatus virtutibus, incompa-  
rabilî insuper magnificentia, de Ecclesiâ, Republica,  
scholis, Regibus, Cæsaribus, de Orbe Christiano uni-  
verso tam præclarè meritis: ut de maiestate nominis  
ejus nulla temporis hominumq; injuria deterere quid-  
quam possit.

A

Prorupit



Prorupit ulterius vis malignæ febris ad GEORGI  
 RUDOLPHI ZEDLICI candidum pectus: quo in Du-  
 catu Glogovienſi Pro-Principis locum nemo aut ſapi-  
 entia majori tutatus fuit; aut elegantis doctrinæ, aut ex-  
 poſitæ humanitatis laude potiori. NICOLAUM verò  
 BURGHAIUM, quàm in quo tempore, quàm per-  
 turbatis rebus eripuit item malitioſa febris! Virum &  
 longo rerum uſu, quæ bonæ literæ, peregrinatio, ex-  
 ercitatio in negotiis & curis Caſarum compararant:  
 Cameræ Sæbeæ Præſidem innocentiffimum; Ducatus  
 Muſterbergenſis Pro-Ducem fortiffimum. Subſecutus  
 paulo poſt fuit; febris catarrhoſa infeſtatus; JOANNES  
 NOSTICIUM, Ducatus Wolavienſis Præſes: poſt Illu-  
 ſtriſſimos Principes Lignicenſes atq; Bregenſes, quibus  
 à ſanctioribus conſiliis triginta propè annos fuit, alter  
 Pater Patriæ: morum gravitate juxta & amœnitate ve-  
 nerandus, amabilis; eruditione varia, eaque recondita  
 admirabilis. Non fuit immunis à fatali, infortuno vici-  
 na Luſatia: ut verè *aliquid mali*, ſcito veteri, *propter vi-*  
*cinum malum* pati viſa ſit. Erat illius coeli ſidus planè no-  
 biliſſimum: ni Patriæ Atlantem malimus dicere, quòd  
 piè vereque poſſumus: qui jura Patriæ & conſuetudines,  
 & privilegia, & arcana multa pretioſa que in ſcrinio pe-  
 ctoris ſui continebat; homo doctiſſimus; ad labores in-  
 genuos natus: erat, inquam, CASPAR MEZRADIUS,  
 Conſiliarius Caſaris, & Luſatiæ Superioris Præſectus,  
 rari exempli. Hunc quoque, curis, annis, meritis gra-  
 vem, calculi rennum cruciatus atrox è medio ſuſtulit. Su-  
 ſtulit porrò mors immatura, febris mali moris, GEOR-  
 GIUM NOSTICIUM; annis florentem, & ingenii acu-  
 mine, & judiciî bonitate, & eloquentiâ tantâ; quanta  
 in PRAEFECTURA GORLICIENſI vix ullus inventus,  
 qui

# EQUES CHRISTIANUS.

qui paria facere cum illo potuerit. Clauiſit tandem hanc  
 Luſatiæ trigam & complevit Vir Generoſus; HIOBUS à  
 SALZA; omnibus iis, quos nominavi, aut ſanguine  
 junctus, aut neceſſitudine: is, de quo neq; quid dicam,  
 neque quomodo taceam, ſatis proſpicio: adeò *difficile*  
*eſt, in magna copia ſatis verſari cautum: nem. copia inopiam*  
*pati videaris.* Expromenda nihilominus eſt oratio, quam  
 illi mihi imponunt: quorum ego virtuti & voluntati de-  
 negare nullum debeo officium; quale Beatiffimi SALCI  
 manibus me debere ſentio; ultrò profiteor. Atqui hoc  
 munus noſtrum, quod majori fide ſuſcipimus, quàm vi-  
 rium fiducia; non priùs videbimur depoſuiſſe: quàm per  
 omnes vitæ ejus partes exſpatiari, ea proferamus hono-  
 rariâ noſtrâ diſtione, Veritatis teſtimonio roboratâ;  
 quæ laudem deſuncto adferre; vivis haud minori & di-  
 gnationi, & ſolatio, & incitamento eſſe valeant. Vos  
 Auditores, quoniam hujus officii pietatiſque conveni-  
 ſtis nomine: facite mihi gratiam: ut parentali hoc de-  
 currens ſtadio, habeam; unde benevolentiam Veſtram  
 attentiorẽque commendare poſſim. Exordiamur er-  
 go ab ipſe vitæ SALCIENſIS exordio: cujus ſtadium  
 ingreſſus ille fuit. FRIDERICUS ANDRIAS, in arce Rederiana,  
 propè Sudetes, & Luſatiam Bohemiæque ultetiores ter-  
 minos. *Natus ipſe fuit, dies equidem nonus Auguſti; an-*  
*ni vero primus & ſextageſimus, ultra quingentimum & mil-*  
*leſimum:* nobilitatus non modò coræis VVenceslao  
 Archiduce, Carolo Emanuele Sabaudò, Abrahamo  
 Dohnavio: ſed trium quoque nobilium & præclarorum  
 hominum natalitiis annis, Hippolyti à Collibus, Aman-  
 di Polani, Bartholomæi Pituiſci: quorum nomen mihi



# CASPARI DORNAVI

*Heredit. in  
Polsteban.  
Dabin & D.  
gersthorff.*

*Q. ann. 119.  
121 xvi. d.  
vi. August.*

*Q. ann. 119.  
121 xvi. d.  
xxv. Jun.*

*ann. 119. 12  
xiii. die.  
xxii. Jun.  
ff. N.*

sanctum post mortem: ut in vita dulcis amicitia & conducibilis fuit. Patrem habuit SALCIUS BENNONE M; Virū spectatæ probitatis, prudentiæ singularis; gravitatis verò tam venerandæ: ut à Regibus Ferdinando & Maximiliano accitus inter Consiliarios Camerae Boemicae, habitus honorificè fuerit. Quam provinciam quamdiu sustinuit: palam ex se documentum edebat: non Virum à loco; sed à Viro locum capere ornamentum. Mater erat CATHARINA, verè *capax*: non quòd Catharorum, aut ullius Gazari sectaretur errores: sed pura, sacrae Fidei confessione; quam vitæ quoque & operum sinceritas subsequa testabatur. Erat illa ex perantiqua & illustri Baronum REDERIORUM familia: cujus virtutes, in pluribus seorsim conspicuæ, in unum quasi collectæ, exernerunt sese, pro exemplo, in MELCHIORE, SALCI nostravunculo: quem verè *pectus Martium, terrorem atque flagellum gentis Turcicae* appellare possumus. Ille, ille est: qui dissuadentibus reliquis militum Ductoribus propè omnibus; cum Turcis numero longè essent inferiores; pugnandum esse suavit, persuasit; effecit; ut, ad Sisseckum in Croatia flos ipse militiæ Turcicae, ad octodecim millia, perierint: è nostris, quorum paulò plures quatuor millibus, quinquaginta duntaxat fuerint destituti. Ille idem est Rederius, Cæsari & familiæ Austriacæ Consiliarius, in curia bellica Præses: qui Varadinum, in limite Ungariæ superioris defendit contra centum & quinquaginta millia oppugnantium, quæ Turcas, quæ Tartaros: totis triginta sex diebus nihil furiale præmittentes; quo immani tormentorum verberatione, nudatis jam undiquaque muris, nobilissimum castrum occupa-

# EQUES CHRISTIANUS.

occuparent. Sed desistere rabiem hostilem à stupenda obsidione coëgit REDERIUS; pari fortitudine Silesiorum & Hungarorum, pari prudentiâ; &, ex utraque, felicitate: ut cum Turcarum interfecta esset immensa copia; ex præfidiariis, quorum initio vix duo mille numerati, septingenti manserint superstites. Ita facere, consueverunt Imperatores cordati; non sublesta fidei: ut, quâ parte mœnia urbis sunt perforata; ibi pectus suum pro muro opponere soleant. Sed erit, opinor, è re magis, insistere SALCIORUM ornamentis: quoniam paternum genus in posteris imprimere plus de seminali virtute videatur. Etsi autem facilis foret operæ, ex utriusque parentis familia nominare octonos utrinque ex gentilis proquinquitate, ad octavam usque progeniem: nostamen, quæ in sacello, quod est EBERSBACHI, obvia sunt, prætermittimus; ea attingimus, quæ ex remotioribus recludi possunt annalibus. Proditum quippe iis fuit: cum Nicephorus Byzantinus Imperator, diviso jam Orientis ab Occidentis imperio, Carolum Magnum, vicariâ Legatorum voce de sancienda pace compellaret: ad Salam moratum Casarem, quâ parte SALZA, THURINGORUM OPPIDUM situm, hodieque isto nomine dicitur. Ab hoc oppido, illique imposita arce non modò gens SALCIA cognomentum, quo jam octingentis minimum annis honorificè utitur, obtinuit: sed illud quoque dignitatis Virtute fuit affecuta: ut altiori Nobilitatis gradu evecti, DOMINI NOBILES, honestamento Germanico, dicrentur. Ab iis tropæa Virtutis fixæ fuerunt in Saxonia, Thuringia, Polonia, Borussia, Silesia, Lusatia: tropæa dico ejusmodi, quibus non modò hostes à se victos testabantur, territoria populantes: sed

*Rbegin. l. 2  
an. Decc. 11.*

*ipsam*



CASPARIS DORNAVJ

ipsam quoque barbariem, quā nullus humanarum mentium hostis pestilentior fingi potest: inscitiam dico, in literis & moribus. Nam ex SALTICIORUM antiquissima gente prodierunt equidem Illustrissimi Duces, generosissimi Magnates, Episcopi spectatissimi, Equites fortissimi: sed prodierunt insuper, qui ex militia literata triumphatores, pulchrum existimarunt; Doctorum titulo & insignibus, Academico ritu, exornari. Approbum sanè facinus; dignum, quod æternitati inscribatur! Nihil enim decerpunt de majorum Equestri laude honores scholastici. Una eademq; Pallas & literis præst; & arma moderatur: quæ mens animi fuit antiquissima nobilitas. Quod nisi anticipatis notionib. impressissent sapientissimis suis mentibus, Joannes Dux Megapolitanus, & Burchardus Mangesfeldius: nunquam, mihi, credite, primi Illi ex Germanis hanc splendidam Laurum exambiissent. Atqui Mangesfeldius, Ottonis Secundi Imperatoris è Saxonibus Consiliarius, genere illustris antiquissimo, genus illustravit magis: cum Doctoris Decretalium, ut appellant, Privilegio donatus fuit; veterum Saxonum jura primus declaravit; cum Casareo Pontificioque jure, quasi alter Tribonianus, comparavit, Casari suo gratissimus. Joannes verò Dux Megapolitanus, Primislao natus supremo Vandalorum rege, avo; patre verò, potentissimo Duce Henrico; qui, paganismo ejurato, primus ex illa gente Christo nomen dedit: Joannes ergo, cum viginti annos in Academia Parisina exegisset; studiorum sociis Rege Cypri, Principe Massiliæ, Comite Hennebergensi Henrico Octavo; ad ditionum suarum gubernacula reverti noluit: nisi Sacrosanctæ Theologiæ prius Doctoris titulum petoret. Petiit; impetravit: addendum etiam con-

circa annū  
CHRIST.  
Dcccclxxix

ERA

EQUES CHRISTIANUS.

tra ordinis hujus obrectatores: sumptis armis, strenuus imperator, Livones primò gladio ferreo vicit: postea quoque Spiritus doctrinæ: cum illos Suadâ suâ permoverit: ut ex sacro fonte lustrati, Christianis accesserint. Tam est putidum, & elumbe, & futile dictum, quo barbari Cyclopes existimant: aut ignominiosum esse homini Equestri ordinis, Doctorem audire: aut quidquam de fortitudine mascula militariq; detrudere tranquillum hoc studium literarum: ex quo & arma & armorum jura discere nos oportere agebat Alphonsus, Aragoniæ Rex laudatissimus. Macta ergo gens SALTICIA! cui ego hanc mentem propriam atque perpetuam precor: sed & Illustre illud gentis suæ, nunquam occiduum sidus in æmulationem produco, HERMANNUM, Xenodochii Divæ Mariæ Præsidem, Equitem Hierosolymitanum, Supremum Magistrum in Borussia, militiæ Crucigerorum; quartum ex hoc Ordine; quem ante annos viginti, in castris ad Ptolemaida Syrorum Caesar instituerat. Hermannus iste, quod alibi, & à me quondam repetitum, & ab aliis ex Historiarum monumentis, eloquentiæ doctrinæque laude floruit: virtute autem bellicâ ita celebris: ut non modò Fridericum Imperatorem Barbarossam, adversus Saracenos in Syria pugnantem, laud contemnendâ manu secutus, fastigium meruerit ejus in Prussia Principatus; quo nostrâ ætate gaudet Elector Brandenburgicus: sed primus etiam, expugnato paganismo, rejectis Deastrorum statuis atque imaginibus, Christianismum introduxit. Factum hoc, si probè pono calculum, anno decimo supra ducentesimo atque millesimo: quanquam in vicinæ Silesiæ monasterio, quod est Leybusense ad Oderam adduntur tredecim alii anni in memorabili inscriptione:

Panormitan. in  
dist. & fact.

Schöpf. de com.  
mentar. Peucer.  
in Chronic. Cro.  
mer. histor. Pol.  
Caspar. Schütz  
in Boruss. Chy.  
tra. in Saxon.  
Münster. in Co.  
smograph. Pam.  
tal. in Vir. illust.

quæ



CASPARIS DORNAVI

quæ illic ad effigiem HERMANNI, & insignia gentilitia, & emblemata elegantia, totidem verbis repræsentatur: *Hermannus de Salza, ordinis militia Teutonicorum Magister, primus sacra domus vexilla in Prussiam Victor traduxit, Anno M CCXXIII.*

Ex quo Poëtæ & Historico eleganti, Christophoro Manlio, versus iste Chronologus, quasi sub manu, quæ erat facili, natus est:

*Hermannus Præfossus Christi sub Vota Coegit.*

Nec suâ spoliandus laude; gratiâ certè dignus: quisquis, in eodem monasterio, sub imagine eadem, ita Loquentem introducit HERMANNUM; suos, ad calcandum Virtutis iter, cohortantem:

*Transvi intrepidus per mille pericula Victor:*

*Non acies ferri, non vastis mœnia fossis*

*Conatus tenuere meos. Domat omnia Virtus.*

Epigrammatico hoc, oppidò festivo, ita τὸν μανὰ ἐστὶν nostrum delectatum fuisse memini: ut, non sine ardentis pietatis indicio, Germanico rhythmo graviter à se conversum mihi olim recitaret:

*Ich hab mein Leben unverzagt /*

*In Kriegsgefahr mit sieg gewagt.*

*Kein starcke Mawr / kein tieffer Grab /*

*Kein schlacht / scharmûzel schreckt mich ab.*

*All ding / so vnterm Himmel sind /*

*Tugent vnd Mannheit oberwind.*

Neque verò his eulogiis fidem haberem: *qua posterorum pietas, augere quandoq; solet, amplificatrix veri:* nisi adstaret testis tam ocularis auritusque, testis Augustissimus, Cas-

far

EQUES CHRISTIANUS.

far Fridericus; qui in sacro diplomate, Borussis concess-  
so, illud SALCIAE gentis miraculum, HERMANNUM,  
laudibus vehit, sanè quàm magnificis: *potentemq; virum*  
*in sermone & opere*, verbis conceptissimis dicit. Dignum  
sanè præconium homine optimè quondam meritò!  
Præter enim facinora jam commemorata; HERMANNI,  
juxtà & Episcopi Messani in Sicilia, operâ, gratiâ, & au-  
toritate factum est: ut anno tricesimo, supra ducen-  
tesimum millesimumque, *Gregorius IX. Pontifex, accepto*  
*lytro decies centenorum millium aureorum, quæ erat hominis*  
*Sacri sacra avaritia*, excommunicationis jugo Cæsarem  
liberaverit. Tacco nepotes Hermannii: qui variis locis  
gentile nomen turati sunt aliâ atque aliâ statione. Ta-  
ceo FRIDERICUM Toparcham Salcæ apud Thuringos;  
HENRICUM item, à Fratre Dieterico, pulsum avitâ se-  
de: quâ contentione accidit; ut gens universa exclude-  
retur majorum possessione; fide factâ veteri sententiâ;  
quâ concordia suaturus filiis duodecim Rex Tartarorū  
Changius Chamus; duodecim sagittas, uno fasce com-  
prehensas, Scilurum imitatus, frangendas dedit. Quod  
cū facere nequirent, ipse exemptis singillatim singulis  
facile fregit; docuitque: *vires unitas esse insuperabiles;*  
*perire omnem societatem, quæ, distractis animis, ab se invicem*  
*discesserit.* Vetūm hæc longè disita faciamus missa: ad  
ea tandē accedat oratio, quæ propiora: in quibus, quasi  
quædam triga Charitum, sese efferunt tres Fratres, VVi-  
gandus, Jacobus & Matthias SALCI: è quorum linea,  
HI OBUS noster genus proximum ducit. Erat VVIGAN-  
du's ex Canonicorū Breslensium numero; Ille, qui Do-  
ctoris in utroque Jure nomen titulumque augustalem,  
magnâ laude consecutus; non minori dignitate tutatus

B

fuit,

*Hasibon. lib. de  
Tart. Plutarch.  
in apophteg.*



CASPARIS DORNAVI

fuit. JACOBUS porro SALCIUS, Juris item Doctor, cum Ducatum Glogoviensem Pro-Princeps magnificè administrasset; cumque Ladislao Sternbergio, missus à LUDOVICO Bohemiarum Rege Francofurtum, in Comitibus, eloquentiâ suâ atque autoritate causam Caroli egregiè juvisset: Episcopali insulâ apud Vratislavienses, & Supremâ Silesiæ Præfecturâ ex Episcopis primus cohonestatus fuit. Qua in re injurius forem in posteritatem; si praterirem silentio moderationem ejus in discidiis, per Silesiam flagrantibus, religione hinc inde reformatâ. Tantum enim aberat; ut adduci potuerit in morem crudelem: quo sævitiâ pateretur innotescere auctoritatem suam: aut carnificis gladio, cum Dominico opus esset, uteretur; ut potius AMBROSIO MOIBANO, representato sibi primo ex Doctoribus, Evangelicis Vratislaviæ, dixisse feratur: *Ito, & doceto Evangelium Domini Nostri Jesu Christi, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Utinam Auditores, ex hac indole suggerent, nostrâ tēpestare, cuncti harū partium: sed & procurarent, quæ ad pacem Hierosolymæ pertinent ii; qui rerum gubernacula quocunque nomine tenent. Huic tam illustri Fratrum pari, tertius fuit, ætatis ordine tertius; virtute non tertius, sed omnino par similisque, MATTHIAS SALCIUS, Benno-nis Pater, HIÖBI nostri avus; cui matrimonio sociabatur Margaretha, ex antiquâ illustrique Baronum KITLICIORUM familiâ. Is Præfecturam Lusatiae superioris totos sedecim annos piè, justè, prudenter administravit; acceptus æquè incolis, ac FERDINANDO Regi: à quo, raro exemplo gratiæ Aulicæ, donario auctus honesto fuit. Nimirum ex iis, quæ perstrinxi leviter cuivis apparet; nisi liyor oculis glaucoma induxerit: quàm fueris

o. ann. 159. 12  
xxix. die xi.  
Mart.

EQUES CHRISTIANUS.

fueris hac felicitas prima HIÖBO; bene natum esse: quàmque verè prisca SALCIORUM insignia, Carolus Quintus, novâ ornamentorum accessione locupletarit; extulerit eâ formâ; quàm divina Joachimi Meisteri Musa, cum laudatissimo tum Gorlicensi Gymnasio perisset Rector, designavit:

Quadrifidum geminâ decoratum est casside scutum;  
Et galeas regum fulva corona premit.

Sanguineo surgunt hic candida lilia campo,  
Aureus aquareâ his nitet hamus aquâ.

Arva fretumq; domans, pacem gens SALCIA reddit:  
Pace vigent hami; lilia pace virent.

Ergo caput croceo cingit diademate tellus,  
Fert Pelagus nitidis aurea ferta comis.

At quem defunctum Wigandum fata tulere,  
Huic freta dent lacrymas; lilia fundat humus.

Nec Manliana Melpomene habenda est inficeta; quæ ad imagines Salciadarum ita canit:

Qui gemina fauces galea, diademata, peltam  
Quadrifidamq; stupes, hæc quoq; pauca lege:

Lactea sanguineo vernantia lilia campo,  
Gesta, notant, varia bella cruenta solo.

Scilicet utramvis aufert gens SALCIA palmam:  
Sive solores est, sive gerenda salo.

Quoniam verò nihil æquè Nobiles decet; quàm lumen quod  
is, pratulere majores, posteris ipsos præferre: id egit à puero  
HIÖBUS: ut ex se Nobilitatem potuisset ordiri; si obscu-  
ris natalibus, qui ipsi erant splendidissimi, prodire con-  
tigisset. Patrem amisit, quod primum inter mortales infor-  
tunium: cum vix quadriennis esset. Conformatus itaque  
à generosa Matre fuit in doctrinæ Christianæ capitibus,

Plin. in ep.



CASPARIS DORNAVI

in paterno Rengersdorfio; traductus postea in contuberniumatrium avunculorum FRIDLANDIAE, SEBASTIANI CHRISTOPHORI, & MELCHIORIS, Baronum Rederiorum: quorum erga se beneficia ad pietatem, ad variam virtutem monita, subinde prædicavit: gratiã quoque, ut poterat, pari industriã fideque Hæredi unico, Illustri Baroni CHRISTOPHORO MELCHIORIS Filio unico, Filio generosissimo in officio Tutelari retulit. Fridlandiã abductus à matre Uratislaviam; quã felicitatis suæ in hac vita jecit fundamentum. Quale id fuerit, an quærat quispiam? Incidit illic in Jacobum Hertelium, Virum Bonum & Præceptorem Bonum: qui discipulum hunc liberalissimi juxta & capacissimi ingenii ea docuit, quæ pietati serviebant; quæ nobilitati morum præstantium; quæ Linguae Latinæ: cujus usum sibi comparavit haud erubescendum. Huic suæ mentis Formatori, quoniam ἰσὺς ὁπποῦ non poterat inter mortales reddere; frequentissimè precabatur, exempto Vatis,

Perf.

—tenuem, & sine pondere terram,

Spirantesq; crocos, & in umbra perpetuum ver.

Homer. Iliad 9.

Credo etiam in Magistrum, si vita Illius, suæ veræ rationes permisissent; tam exstitisset ipso opere gratus: quàm Achilles, Græcorum fortissimus; qui Præceptori Phœnici, regni sui dimidium obtulit. Venit postea in celebrem rei literariæ ludum; qui FreistadI florebat, in Ducatu Glögoviensi, felicissimo Juventutis Magistro, JOANNE FERINARIO; verbū Dei pro suggestu docente clarissimo Theologo & Historico, ABRAHAMO BUCHOLCERO; quem Salciano ingenio plurimùm esse delectatum accepimus. Usus SALCIUS commilitone fuit, præ cæteris, in tyrocinio illo literario, Illustri Barone

EQUES CHRISTIANUS.

Barone, GEORGIO SCHÖNAICHIO, agnato suo, totã vitã, amabili a quẽ ac constanti. Instructus illic uberiori copiã Latinæ elegantix; abiit ad Bohemos Litomiericum, urbem amœnam; adfluenta Albis sitam, vitiferis collibus cinctam undique, agro item fertili exornatam. Illinc, cum Latinæ Eloquentiæ adjunxisset studium a sermoris Bohemici: ne, cum vicina olim gente versaturus, mutua foret: sentiens & ex se, & judicio propinquorum; Musas suas indigere solidioribus alimentis; contulit sese Argentoratum:

Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas.

Erat tum Academia florentissimæ urbis doctis Viris adfluentissima: è quibus familiam quasi ducebat JOANNES STURMIUS; qui Senatui Amplissimo, apertã scholã, rationem instituendę Juventutis ostendit, publicè promulgavit. Pendebat ab hujus ore & judicio HILOBUS totus: capiebat incrementum, hoc Ductore, in sapienti eloquentia, & eloquenti sapientiã: facturus progressus longẽ majores: nisi Præceptoris domestici cum remorata esset incuriã, an injuria, dixerim; quod verius. Æquẽ enim criminosi sunt, & qui fontes venenant, & qui nobilem Juventutem malitiosè fraudulenterq; docent. Utrinq; enim baurit pestem Respublica. Quanquam verò Ephorus suus tam erat fluxã fidẽ; nihil minùs, quàm Ephorus: ipse tamen discipulus sibi non deerat diligentiam propriã; quã tanquam certissimã machinã expugnandi difficilima, quæque, & humaniorum literarum, & jurisprudentiæ sacris non initiatus tantùm; sed propè confirmatus fuit. Viatico isto instructus, Galliam cogitat: adit primò Burgundos; Vesontione tantisper se tenet; urbe, Sequanorum maximã, imperiali, libera: dum in præliminari quasi provin-

Auson. in Mosel.

Ann. 619. 19 xxxlix.



CASPARIS DORNAVI

*Ægid. Co.  
ruct. in  
Lutet.*

*ann. 119. 19  
xxci.*

*Jacob. Ca-  
pel. in Lut.*

provincia aliquem linguæ Gallicanæ gustum capiat. Po-  
stea *per campos Catalaunicos pergit Lutetias Parisiorum*; Gallie metropolin: dicam rectius, orbis terrarum deli-  
tium, comitium quasi variarum gentium: in qua, si ra-  
tiones probè inii, templa undeseptuaginta, sacella tre-  
decim, cœnobia quatuor & viginti; Musarum collegia  
plurima; publica viginti; privata, ex amplissimorum  
hominum beneficiis, triginta: officinæ mechanicæ, in  
suas quasi regiones distributæ, propè innumerabiles:  
plateæ quadringentæ: domuum, jam septuaginta anni  
sunt, ex quo decem millia circiter numerata; exceptis  
collegiis, templis, cœnobiis, & iis, quæ in suburbiis  
longè amplissimis, elegantissimis: ut taceam Xenodo-  
chia, areas, fora, sepulchreta, pontes, statuas, biblio-  
thecas, turres, arces; ex quibus Lupara principatum te-  
net, sedes regia. Hanc quotidie HIOBUS frequenta-  
bat: *ut quæ in umbra & pulvere Scholastico didicerat: accom-  
modare vitæ in luce hominum disceret*: conversatus cum o-  
primæ notæ Viris, eâ tempestate; quâ pax inter Henri-  
cum tertium, Gallie Regem, & Protestantium Principes  
sancta publicè atque promulgata fuit. Ab hac auli-  
ca vita non segregabat alterâ scholasticam: cum luben-  
tia quadam audiebat Doctores varios in ea Academia;  
quam Carolus Magnus condidit; incitantibus ex se pro-  
num atque liberalem Imperatorem quatuor Venerabi-  
lis Bedæ discipulis, Alcuino, Rabano, Claudio, Joanne  
Scoto. Erat porro HIOBO inter vota hoc palmarium:  
Ulysseâ atque decennali peregrinatione, Ulysseam sibi  
prudentiam in non modò Aulis exteriorum Principum,  
sed Academiis quoque comparare. *At nos homines quasi  
pile Dei sumus: qui, quò vult, admovet, quò non vult, amovet:*

*volens.*

EQUES CHRISTIANUS.

*volentes adducit; nolentes abstrahit.* Verum enim verò SAL-  
CUS noster ita se peregrinatione ditaverat thesauris, di-  
vinæ humanæq; sapientiæ utililib: ut si nō evchendus  
inter summè eruditos sapientesque (quanquam quid est  
in rebus humanis summum) inter mediocres certè obti-  
nere primum locum potuerit. Mediocre dum appello:  
nolite existimare; parum ad laudem hoc præconium  
pertinere. *Fuerunt semper ingenta Reip. utiliora, quæ media  
exstiterint; non acris nimis, non ignea, non acuta nimis, ni-  
misq; grandia: more ascia, quæ aptius lavigat asserem, acie  
paulò obtusiori, quàm acutissimâ.* Illa item ve grandia sub-  
limiaque ingenia, præterquam quòd sine mixtura de-  
mentia sunt rarissima; novandis, quàm gerendis rebus  
prioniora comperimus. Nam ut arbores, pluribus gra-  
vidæ fructibus, quàm conveniat, nimia libertate luxu-  
riant: sic illa, multiplici inventione, rationumque co-  
piâ, quodammodo natant; ægrè aliquid, cui insistant,  
expediunt. His itaque ingenii virtutibus, omnibus au-  
reâ mediocritate exornatis, è Gallia se reducem parat  
SALCIUS; matre defunctâ, à Propinquis revocatus; in  
itinere diverticulo haud poenirendo

*Pergit ad Augustam, quam Vindo Lycusq; fluent at:*

unde

*Antiquam gentem, populumq; urbemq; vocarunt:*

ubi prima Imperi comitia celebrari à Rudol-  
pho vidit, incomparabili Cæsare; ab Electoribus  
magnificentissimè excepto. Domum reversus; quod de  
peregrinatione decessit, & diuturniori morâ in Acade-  
miis; largissimè compensavit crebrâ consuetudine cum  
Magnatibus, cum piis, prudentibus, omnium ordinum  
Viris. Erat frequens in aulis Principum; inter Proce-  
res aulæ Pragensis: quorum olim confessus non tam Con-

*filia-*

*Senec. de  
tranq. vit.*

*Plato in  
Timæo.  
Thucyd. l.  
3. histor.*

*Fortun. lib.  
4. B. Mart.  
Richter. in  
descript.*



CASPARIS DORNAVI

filiariorum, quàm Collegium quoddam Regum videbatur. Nisi fortè quisquam se proripiat, Catonianæ frontis, aut ex Centaurorum gente: qui SALCIO protervè detractum erat: quoniam sarissam non arripuit; militatum non excurrit. Quasi, Auditores, difficile Vobis sit videre; quod est in clara luce positum: quàm sint excordes illi; qui existimant, erroris opinione: omnem insago fortitudinem exerceri: illam, quæ in toga est illustris, verbis inminuunt. Neque enim quivis ad quodvis vitæ genus aut per naturam est aptus; aut docilis adstudium: sed est, veteri verò quæ verbo,

Propert.

*Hic satus ad pacem: hic castrensibus utilis armis:*

*Natura sequitur semina quisque sua:*

neque gestare arma omnes promiscuè, aut in acie stare, conduceret Reipublicæ. Deligendi quippe nonnulli sunt; qui, cum alii armis pugnent, ipsi consiliis interea rem gerant; more Patrum in florente Roma; qui *sedendo vincere* dicebantur: cum intenti prudenter, circumspèctique in omnes partes, id agebant: ne verum aliquando, sed calamitate docti, cognoscerent: *parvi esse arma foris; cum domi consilia deforent*. Aperiebatur ergo SALCIO campus, tum virtutes reliquas, tum fortitudinem exercendi: cum non modò inter Patres Conscriptos Lusatiæ, unanimis votis Ordinum legeretur: sed rebus quoque controversis arbiter sæpè compositorque adhiberetur: quoniam magnâ pollebat dexteritate, conciliandi litigantes. Nec minori erat & judicandi promptitudine, & consulendi fide, acrimoniâ, felicitate: ut ad ejus domum, quasi ex Apollinis tripode, aut Sibyllæ foliis percepturi oracula, plures contenderent. Facundiâ verò cum in eo esset tanta, quanta hujus Ordinis hominem

Cicer.

ann. 619, 19  
cxviii.

EQUES CHRISTIANUS.

nem deceat: *non dissolutâ aut Asiaticâ verborum profluentiâ, fusâ, vagâ: sed adstrictâ sed pressâ, sed nervosâ, sed penetrante undiquaque: semel iterumque Legatus à Lusatiis destinatus ad Rudolphum fuit. Audiebatur impetrabilis Orator à Cæsare patienter benigneque: & audiebatur ab eo Cæsare; cujus aures teneræ admodum & delicatæ erant: coram quo Zeno Citticus verba facere debuisset: qui, dicente non-nemine, breves esse Philosophorum sententias: Vera, inquit, predicas: oportet enim Philosophorum (addamus nos Auditores eorum, qui coram Magnatibus sint dicturi) etiam syllabas si fieri queat, esse brevissimas. Consecutus itaque fuit, singillatim sibi, hoc à Rudolpho beneficium, gratiæ auctarium: ut cooptatus in curiam Senatorum, nullo suo ambitu, Cæsaris Consiliarius, dignissimus nomine locoque diceretur. Mathias porro Frater, pulchrum arbitratus; honoratos à suis majoribus honorare; eodem dignationis gradu SALCIUM habuit, confirmavit. Potuisset ille jam tum conscendere altiùs ad honorum fastigia; ad quæ non semel illi à Summatibus Cæsarum intendebatur digitus: ni existimasset: *quò propior sit Soli Luna; hoc minus habere luminis: & plus fructus ac dignitatis obtinere eos; qui plusculum à Principibus magni absint*. Animum ergo sic inducebat suum: posse non minùs domi se, quàm in Palatio invidioso & anxio, servire Deo, Cæsari, Reipublicæ: Patriæ verò, sibi suisque etiam multò magis. Rem ergo familiarem constituit prudenter: nec sine successu, quem Deus ipse largiebatur. Uxorem duxit, haudquam eâ mente: ut si fortè, more nonnullorum pessimo, *Tres ruga subeant; & se cutis arida laxet; Fiant obscuri dentes, oculiq; minores:**

Laert. lib.  
1. cap. 1.

ann. 619. 10  
17 vii. d. 19.  
Mal.

ann. 619. 19.  
cxii. d. xx.  
August.

Plin.

ann. 619. 19  
xxciii. d.  
xxi. Jan.

Juv. sat. 6.



# CASPARIS DORNAVI

*Collige sarcinulas, dicat libertus, & exi:*

*Jam gravis es nobis:*

*Casimirus  
Hereditar.  
in Prosch  
litiz/Mes  
cham &  
Kieß/  
dorff.*

sed foedere, nunquam solubili, fide nunquam solutâ. Dico etiamnum superstitem Dominam Viduam, Matronam Generosam, CATHARINAM, Magnifici Casimiri FRANKENBERGI Filiam; omnibus notis, quibus pietas, & candor, & probitas, & fides, & humanitas illucescit, eximiè insignitam: natalium quoque splendore, & meritis & celebritate familiæ nulli ex hoc Ordine secundam. Cum hac Optimam ætatis partem Optimus SALCIUS, annos sex & triginta convixit, iis modis; quos Naturæ leges præscribunt; honestas postulat; Deus flagitat. Quod si *domus sine prole, est instar mundi sine sole:* quos felicitatis numeros dicemus implevisse HIOBUM? qui tot liberos ex hoc unico conjugio excitavit; quot sibi Apostolos Servator humani generis delegit. Ex illis pars propè media è vivis Parentem præcessit: superstites septem utriusque sexus, partim egregiâ doctrinâ, partim claritate militari, partim matronali dignitate, partim virtute virginali nobilitatem & suam & majorum ex se tuentur. Quippe ad hoc instituti omnes fuerunt singuli que: ut à puero nosset salutis humanæ fundamenta: cum quibus vel liberalium artium studia, conjungerent mares; vel equestria exercitia: foemina rem familiarem gubernare discerent. Ac dum secum Pater cordatissimus domi suæ haberet sub eodem tecto cunctos; dici non potest; quàm non modò præceptis & adstrictâ disciplinâ prolem universam institueret: sed, quæ utramque paginam facit, propriis exemplis. Quæ imperandi ratio cum sit lenissima: quisquis es;

*Sic cupis, ut recto proles Tua tramite viam*

*Plin. in  
panegy.  
L. Big.*

*Transi*

# EQUES CHRISTIANUS.

*Transgat: id studeas carpere primus iter.*

Fecit hoc SALCIUS; quod quivis Imperator in exercitu faceret: certè Alexander Magnus de se præstitit: qui cum amplam fossam moenibus Tyrionum adjectam superare cuperet; primus ipse corbem arenâ refertum apportavit. Macedones, Regem suum adhibere operi manus conspicati; confectum, abjectis omnes chlamydibus, loca exæquarunt: adeò

*—coegit tantos æquare labores*

*Summa Ducis Virtus.*

Habebat HIOBUS Oratorium domi suum; à quo non abscedebat: nisi precibus, haud rarò lachrymosis, se suaque prius Deo commendasset. In æde sacra publicitus, etiam tenui valetudine usus, vacabat divino cultui; sine tædio: stans plerumque, Christi Ministro verba faciente: reliquo corpore ad reverentiam, toto animo ad attentionem composito. Domi quæ legebat, certis fixisque quotidie horis, ex sacris literis, Theologorum commentariis; *non tralatitio oculo inspiciebat; quod est Vertumni fugitivi:* sed morabatur atque etiam habitabat in locis eximiis: quæ in Adversaria sua certis classibus referebat, distinguebat. Et si autem certus erat fidei suæ; rationesque exponere noverat cujuscunque membri & ariculi, religionis Evangelicæ; abhorrebat tamen à fœda illa litigantium scabie inter Theologastros: quorum mentem si minùs adsequebatur; præteribat: notabat asterisco: sicque statuebat; cum in sacro Codice non exstarent:

*Nescire velle, quæ Magister Maximus*

*Docere non vult, erudita inscitia est.*

Malebat operibus testari fidem suam, omni parte venerationis divini Numinis; spe firmâ solidaque in morte

C 2

Christi,

*Onosand.  
in Strateg.  
Polyan. lib.  
4. strateg.*

*Lucan. l. 9.*

*Ios. Scalig.*



# CASPARIS DORNAVI

Christi, meriti infiniti. Stabiliebat item vocationem suam beneficiâ variâ, prudentiâ, concordîâ, justitiâ, humilitate, amore disciplinæ. Nam & de suo dotavit templum vivus; post mortem testamento: & eandem domum Dei novâ structurâ stabilivit: Diaconatu insuper, suo, non majorum legatis, non adminiculari sumptu ullo, constituto. Præstabilius profectò opus! quàm ex infans substructionibus captare nominis memoriam. Quamquam ne iis quidem destitutus fuit; quæ ad hujus vitæ adminicula referri solent: qualia comitantur eos, qui primitus regnum Dei querere non dubitant. Prædia enim sua, quæ non tam multa, quàm culta habebat (et si in diocesi Gorlicensi sunt amplissima, fertilissima) ad eam usque bonitatem instruxit; quæ tum vitæ honorificè transigendæ sufficerent; tum liberis omnibus singulisque conferrent ad necessitatem olim & dignitatem subsidia. Imensas possessiones, licet potuerit, comparare sibi noluit: quod non modò confusio in multitudine, & distractus animus, & opera impares in administris, fide & prudentiâ inæqualibus: sed de industria præcavebat: ne æs alienum conflaret: quod ii facere consueverunt, qui pecuniis alienis magnificentiam suam ostentant. Miseri profectò; & assimilandi cholerici! Nam quemadmodum illi, quoniam purgari nolunt tempestivè; collectâ indies copiosiore bile, postea discrutiantur gravius: sic qui debitis onerati, fœnus sinunt accrescere; aut ipsi graviter, cum dies adest, ex capite laborant: aut eorum liberos

Plutarch.

\*Fœnus frequenter servos liberos facit. Menand.

\* Τα δάνεια δὲ ληστὴς τῶν ἐλευθέρων ποιεῖ.

Conferebat illud quoque plurimum ad excolenda prædia; & ex iis, tanquam honestissimo Terræ Matris fœnore, rem familiarem augendi: quia gaudebat eâ parte bone

# EQUES CHRISTIANUS.

boni prædii, quam præcipuam æstimabat Themistocles, BONIS VICINIS. Ipse verò SALCIUS, & prudens & attentus, & benignus liberalisque Paterfamilias, tales sibi conciliare didicerat. Nulli Nobilium erat gravis: quos vel in limite dititionis suæ prope, vel longulè disritos habebat. Omnes cujuscunque ordinis homines aut obsequiis sibi reddebat addictos; aut beneficiis demerebatur eorum studia; aut amœnissimâ fronte admittebat se adeuntes; aut convivii latus-lubens excipiebat; aut absentium amorem colligebat, imò augebat, imò retinebat creberrimo literarum alloquio. Nulla erat, vel Anla patriæ, extera, vel urbs nobilior, vel regio, vel locus ullus: in quo nō ille usus fuerit necessitudine hominum excellentium: sive literis inclaruerant: sive cum Familiæ dignitate studium militare conjunxerant. Illis quippe tum alia, ut res ferebat, aperiebat: tū Filios suos, indole egregiâ dotatos, commendabat per epistolas; quarum, si cui ex gente Germanica laus ista competit; quæ certè maxima est; SALCIUS erat Artifex, propè unus & unicus: in exemplum elegantie sermonis patrii natus. Non loquor audita: quæ manibus subicere aliorum & oculis liceat, loquor. Dicam enim verè, quod verè possum: quoniam ipse ego ultra centum easque justas epistolas, uno anno, manu Salcianâ ad me perscriptas accepi: nulla ex iis mihi lecta: ex qua non doctior, aut melior factus fuërim. Cum vicino verò GORLICIO quàm vixit concorder! cum Reipublicæ Proceribus, quàm amicè! quàm liberaliter! Quæ vicinitatis officia deponi quoque à liberis; à posteris præstari suis candidè voluit: quod in funere olim FRIDERICI SALCI, Fratris consanguinei, solenni oratione pronuntiari publicitus, se adstare jussit,



CASPARIS DORNAVI

jussit; audiente universo populo; ipsoque adeò, sub dio, Deo, pacis atque Concordiæ Principe. SALCIO enim, scientissimo rei augendæ magistro, obscurum minimè erat; quod ex ore ejus haud infrequenter hausimus: *non facile pauperie homines Nobiles infestari, caterà officii sui diligentes: cum civium, quorum opes fortunaq; florent, ipsi quoque amicitia florent. Beneficii nempe loco numerandum: re exigente, subsidium pecuniarium, ex civitate probè constituta expetere atque expectare posse.* Acerbus minimè erat in familiares suos administratos: sed nec in subditos: subinde recordatus Cyri, qui *Principem & Magistratum nihil differre à bono Patre dicebat*, Bonos equidem in officio retinebat, humanitate &

Xenoph. in  
Cypod.

Hora.

— *virtutis amore:*  
pravos, aut facinorosos cogebat in ordinem  
— *formidine pœna.*

Bernh in  
epist.

In hac verò pietate justitiâ & plexu cæterarum virtutum, tantum aberat; ut sibi placeret; altos sumeret spiritus: ut potius se hoc unum scire, cum Socrate, diceret: *quod nihil sciret, nihil esses; neminemq; adeò judicaret capere celsitudinem Dei posse; nisi prius humilitatem Christi præcepisset.* Minimè itaque blandiebatur iis; qui subinde crepabant:

Horat. lib.  
1. sat.

— *quod avus sibi maternus fuit atq; paternus,*  
*Olim qui magnis legionibus imperitavit:*  
at ipsi de se nihil expromere valebant: unde virtute se noscibiles redderent:

Juven. sat.

*Indigni genere, & præclaro nomine tantum*  
*Insignes.*

His talibus, ad Cyclopum officinas remittendis, longè & judicio suo, & verbis, & sessione anteponere solebat homi-

EQUES CHRISTIANUS.

homines eruditos, prudentes atque probos: utut inferioris ordinis: è quibus emergere olim non minus viri Magni possunt; quàm Iphicrates, ex sutrina, Dux Persæ: Variatus, ex pastore, Imperator: Agathocles, ex figulo, Rex: Aelius, Cæsar Romanus, ex mercatore: Franciscus Carmaniola, ex subulco, Princeps Genuæ. Notum est porrò; & literis trabalibus inscribendum monumento SALCIANO: quantâ animi contentione, quàm pio Zelo corruptæ Juvencutis mores emendare annis cum aliis fuerit. Quid arbitrari ni consecutum? obloquia, murmura, mordacia dicta, imprecationes, diras: sed *quæ in auctores quandoq; constante ipso SALCIO, haud secus atque tela, in corpus solidum conjecta, recidebant.* Ipse enim munimento erat obseptus; firmiori, verè dicam: quàm famosissimus Ille Panoples: cujus armatura universa ex ære solido firmissimoque fuit. Patientia hæc erat: quâ non modò malevolorum famas protitivillitio habebat: *more magna fera; quæ exitium catulorum latratu secuta obaudit.* sed juxta habebat calamitates alias numero, plurimas, pondere sanè quam gravissimas. Quid dissimulem? Nomen ejus abierat in omen, quovis oraculo verius. Hiobus erat verè quippe HIOBUS; HIOBUS, utroque modo, ærumnis & victrice patientiâ. Acuebat hanc virtutem pientissimâ meditatione: quæ illi dictavit ingeniosum plateque sanctum emblemata Crucigeri Christiani: quo, tabulâ bene grandi, naturam crucis & afflictionis, varietatem ejus, ferendæ modum, officia denique cuncta hominis adversitate pressi, figuris æquè ac verbis piè cruditeque depinxerat. Quod emblemata, nisi forte simulachrum velimus dicere, si Hæredes generosi bono publico dare velint: longè ampli-

Fulgos. lib.  
3 cap. 4.

Senec.



CASPARIS DORNAVI

amplius de Ecclesia & Christianismo mererentur: quam Apelles de Aegyptiis; postquam Calumniæ indolem, & adversus eam alexipharmaca in tabula expressit. Erigebat verò sese hoc patientiæ fulcro; tum totius vitæ procursu: quā hausisse plus aloes visus, quā mellis: tum in *extrema clausula*, *qua vitæ anteacta omnes articulos coronat*. Erat adstrictum corpus ab annis plurimis morborum contentione vehementi: calculo inprimis, per intervalla cruciatus atroces excitante: cui se dolores colici haud rarò permiscebant. Fovebat quoque in lienis viscere & hypochondriis malum pertinax; quod à partibus læsis melancholiam appellamus: *adfectum*, *Heroicis mentibus atque ingeniosis hominibus, nescio quæ, familiarem*. Huic accedebant catarrhi, sæpè affatim provenientes ad subiecta membra; quæ exterius, quæ interiùs: *quibus cum molestius strenuè nobis colluctandum est; qui vitæ sedentariâ vacare meditationibus necesse habemus*. Corripitur morbo, anno uno & tredecim septimanis, ante diem emortuale: cum sacra Deo fecisset in templo, eâ diē Dominicâ; quâ MIESLAUS Polonorum Princeps, Ethnicorum olim idola ex templis Poloniæ Silesiæque universæ eiecit. SALCIUS ergo è concione sacrâ domum equo vehendus; dum id agit: inter eundum hemiplexiâ infestatur; quæ & linguæ ipsi usum adimebat; & lateris dextri membra cuncta facultate motrice defraudabat. Quod si tum extremum spiritum, quod metuebant omnes, exhalasset; non ideò putanda fuisset mors infeliciores; quia prope: qualis homini assidue poenitenti minimè deprecanda: sed, dicam enim confidenter, *nulla mors aut morbus gloriosior: quàm invadens hominē in opere vocationis, cum primis divine.*

Nam

EQUES CHRISTIANUS.

Nam & cordatus miles sibi reputat gloriæ: cum in acie & pugna dimicans, aut cadit, aut adversum vulnus accipit: & Imperatores, cum Vespasiano, arbitrantur: *stantes se morti oportere*. Verum ea nondum fuit fatalis hora: etsi Christianissimus SALCIUS horam quamvis habebat po extrema: quovis etiam puncti titio tam paratus, quàm promptus, Deo Naturæque debitum persolvere. Recolligebat enim nonnihil vires; Dei potissimum auxiliarii manu: sed & *medicamentis dextrè usus; qua Deorum manus ex priscis non nemo appellare solet*. Verum his ita utebatur: ut, cum spes ipsi à Præstantiss. Medicis fieret efficacis remedii; hæc verba iteraret: *In die restitutionis omnium rectissimi me convalescimus*. Equidē annò ipsū visitēs; cum inter oscula & lachrymas & crebrò iteratos singultus testatur mihi vim adfectus pristini; comperiebam multis indiciiis: moram ipsi in his terris gravem esse: etsi eam leniebat egregiè fiduciâ divinæ voluntatis. Huic se permittens totum: neu quidquam, conscientia ergò, videretur præterisse: unde corpori consuleretur: adit thermas, prope Hirschbergam Silesiorum; celeberrimas diu, & à Bulcone Silesiæ Duce, Gotschio Schaffio, unâ cum Dynastia Gryphymontana, Kynastina, aliis circum sitis, donavit: quod in bello Erfurtano strenuam Bulconi operam navaverat. Thermis illis se immergebat HIOBUS; ex sulphuris aëreo liquamine, ex vitriolo, sale nitri, minerâ ferri, bitumine mixtis. Verum ut *optimè consulta*, *non optimè semper cadunt*; ita cum his balneis erat comparatum: ut foetor sulphureus, quem primitus ferebat, cum aliqua salutis indicina, postea caput feriret: reliqua etiam vis metallica sopitos nonnihil inveteratosq; morbos irritaret. Ex quo desistere coactus à thermarum usu,

D

domum

ann. 619. 19  
6x11x. d.  
xxv. Mart.  
an. deccev.

1618

253

ann. 619. 19  
ccc Lxxvii.

Svenkfeld.  
par. 2. de  
sb. Hirsch-  
berg.



CASPARIS DORNAVI

domum se contulit ad Pentecostæ dies festos: quib. cum Spiritu sancto, cujus dies illi consecranci, in gratiâ rediit ut nullo solatio, quo quidem anima refocillaretur, destitutus fuerit. Equidem lipothymia ipsum exercebant frequentes, & profundæ; quæ à præsentanea morte perparum distabant. Atqui animus, etiam in ruinoso domicilio hospes fortissimus, cum tantillæ vires repararentur, semper erat sui similis: amò quo vicinior morti; eò lætior, atque, ad quemvis agonem mortis subeundum, visus est paratior. Facile erat Ministro Ecclesiæ, consolari HIOBUM SALCIUM: cujus animus quasi quoddam myrothecium semper fuerat omnis solatii, & spei æternæ quasi cornu copiar. Quamdiu enim facere verba potuit; certitudinem fidei suæ salvificæ testatus est inexpugnabilē: seque adeò coram throno Dei, utut severi Vindicis & judicis, consistere tamen posse: quoniam veste Justitiæ, quæ & Christi esset; & sua ipsius hæreditaria, amictum sese nosset. Tandem aliquando, aiebat, clepsidra hujus vitæ extremis guttis elabente, providum nautam imitabor: qui naufragium faciens, prebendit tabulam: cujus adminiculo usus, in portum natat incolumis. Ego perinde, quod Deus largietur, uno alterove Scriptura axiomatis pramuniam hoc petus: illis me sustentabo: illis inbarebo firmus tantisper; dum per mare mortuum, inter furias decumanosq. fluctus, enavigem; portum æternæ beatitudinis consequar. Depromebat illa scita ex Joanne:

IOAN. 3. v.  
16.

Tam tenero mundum Deus est complexus amore;  
Ut daret unigenam leti sub tristitia jura:  
Ut videret quicumq. fide se credidit illi;  
Non stygis; astriferi superet nobis incola templi.  
Addebat etiam Paulinum votum:

Solve

EQUES CHRISTIANUS.

Solve jugum, jam solve jugum, mitissime Christe:  
Vita ista bac onus est, & vix portabile pondus:  
Christe, tuo gremio, voti est mihi summa, foveri.

Hæc verba identidem repetebat; cum tantillum levatus, manu Ministri per Museum, veriùs officinam pietatis, duceretur. Cibum verò sumpturus: *Suspirandum mihi est*, inquit, *ô Deus: quoties buccellam panis ori meo ingeram: quòte exorem: digneris hunc panem mæroris mei, in latitia pacem, in altera vita convertere.* Quandoq. & alio se permulcebat dulciloquio; quod ex mente verbisque pii Doctoris Poëta piè reddidit:

Intueor quoties animo tua vulnera, Christe;  
Saucius ab cordis vulnera ploro mei!  
Proficiant utinam fletus! colliguar in udas  
Omnis aquas, possim quò mea flere mala!  
Sed non sufficiunt lacrumæ; non: si mihi plures  
Ex oculis caderent fluctibus Oceani.  
Unica gutta tui mihi satq. superq. croris:  
En mea vulneribus vulnera sana tuis!

Philip. 1.  
v. 23.

h. Mel. Pau

Nec frustratus fuit hac spe, fiduciaq. tam luculentâ: ad quam, paulò ante excessum; cum loquelâ adhuc valeret, Conjugem, liberos, amicos, familiares, cohortatus, piâ oratione & quasi Cycenâ cunctos compellavit. *Carissimi, quos & proquinquissimos in hac mortalitate habui; Vosq. amantissimi sanguine, & amicitia mihi juncti; Vos anime Pastores, mea exoptatissimi; Vos fidei Ministri & subditi: Vobis omnibus & singulis Deum favorabilem precor.* Proxima est abitionis mea hora: me lassum Equitem, me defatigatum militem, receptui canens, ex pugna, ex morticina, & agrimonia acerbissima vocat Cæli Terraq. Princeps. His quietem mihi designat: cui, quantum possum, siciens anhelusq. inbio. Fidem Vestram,



CASPARIS DORNAVI

*Vestram, & conjugalem, & debitum parentibus à frugì prole, Benignus Deus compenset; faxitq; pro misericordia sua infinita: ut liberi Vos olim Vestri eodem adfectu vicissim prosequantur: quo animati in me exsististis. Age Corona bellissima, quae me circumstas; si adversitas suborietur aliqua; age, cū divino Psal-*

*Ps. 20. v. 1. 2*

*te, Tunc cede malis; sed contrà audentior ito.*

*Ille Deus, Deus ille, suas qui praebeuit aures*

*Isacidæ, castis pullanti sidera votis*

*Annuet oranti: —*

*Ex adyto ille suo sanctæque Sionis ab arce*

*Accelerabit opem Tibi, praesidiumque parabit:*

*Ne pavidum ignavâ trepidet formidine pectus;*

*Inmansuetâ oculis facie occurrente pericli.*

*Idem Deus*

*— adsit coeptis, casusque in prospera vortat;*

*Eventa fingat omnia ex sententia.*

*Hunc Vobis Patrem substituo vicarium, Optimum, Maximum; Tutorem relinquo sapientissimum, Curatorem liberalissimum, Ductorem fortissimum: praesidium in omnibus adfectionibus, dolore, angustis. Vobis item reddat, non æquivalens, sed millecuplum; quicumque vel amicitia, vel fidei, vel amoris, benevolentiaque, vel subjectionis mihi unquam aut observantia officium praestitistis. Caterum de meo, non obitu, sed abitu, nolim Vos stringere acerbos animi morsus: quoniam de mea salute cū certū mecum sitis; migratio ista, non luctui servire, sed gratulationi, mihi certè gaudio servire aternaturo debet. His dictis; corrumpebatur magis magisque externus homo: utq; interior ille viveret porro, quemadmodum coeperat; propius accedebat mors; toties, pius suspiriis expetita: quæ si ulli mortalium exstitit*

*Idem lib. 1. 2  
p. 1.*

*— felix: cū se nec dulcibus annis*

*Ingerit, & miseri saepe vocata venit:*

*certè*

EQUES CHRISTIANUS.

certè SALCIO, vitæ saturo, saturo omnis vanitatis sculo hoc perplexo & ancipiti, venit exoptatissima. Equidem postremâ dieculâ non sinebant ipsum verba facere attritæ planè prostratæque vires: linguæ cumprimis, quasi pondere appenso, difficultas. Sed erat animus tantò liberior alacriorque: cujus precandi desiderium ardēs fovebatur iis formulis; quas ipse SALCIUS, nō uno orationis genere, prorso, vorso (ut erat dicendi artifex utroque modo) partim ipse concinnarat; partim in libellū congresserat. O sapientem pietatē! o piam sapientiā! Pacis tēpore cōquirat bonus Princeps, quæ militiæ serviant: ne bellis jâ-jam ingruentibus, quæ gliscūt sæpè exardent, quæ levi causâ; imparatus, atq; inermis, suam civiumque cervices hosti jugulandas temerè objiciat. Quid nos, Auditores? an est armatura firmior ulla, quâ & Satanæ furentis, & carnis peccatricis, & mortis horridæ noxia tela depellamus? Atqui istis consuecamus necesse est; cū valeamus, & spes aliqua vivendi superest ac robur: non expectanda hora ultima: quæ præterquam quòd incerta; ita sæpe nostræ spontis nos esse haud finit: quò vacare precibus possimus, & placidè animam nostram in sinu Abrahæ deponere. Contigit hoc tandem pientissimo SALCIO; cujus dies emortualis fuit ille, quo Divi Joannis Baptistæ recolimus memoriam: quem si visurus esset ac salutaturus; gratū sibi fore testabatur. Adsecutus est fastigium voti: vidit, salutavit; sed & eodem die horâ pomeridianâ primâ ultimū nobis vale dixit; gestibus planè compositis: perinde exspirans, atque flamma: cū in lampade oleum depastum fuerit. Quanquam verò in tanti Viri morte jacturam faciunt irreparabilem Respublica, Conjux, Liberi, Propinqui, Amici, Subditi

D 3

quoniam



CASPARIS DORNAVI

*Sen. in ep.* quoniam Vir bonus, fortasse tanquam Phoenix, ut habet  
diverbiū, anno quingentesimo nascitur: nos tamen  
deceat minime; excitare desperabundos,

—mercede, qua

*Lucill sat.* *22.* Conductæ sicut alieno in funere, Præficat;  
Multò & capillos scindant & clament magis.

Quis enim Deus? is certè; cuius nec decurtatum ita bra-  
chium; ut nequeat: nec Paternus animus expectoratus;  
ut juvare nolit: quò deploratam SALCI vicem subire  
alius possit. An verò ita est miserabilis conditio SALCI?  
ut impatientibus atque inutilibus lachrymis descendenda  
videatur? qui, cum innumerabili sanctorum choro, &  
quinque suis præmissis liberis, non jam gustat; quàm  
suavis sit Dominus: sed dulcedine saturatur ejusmodi:  
in qua nec deesse quidquam, nec obesse cuiquam pote-  
rit. Nec in hoc terrarum orbe quidquam reliquum fecit;  
quod ad commendationem illustris nominis pertineat:  
quod, jamdiu in Honoris templo magnificè inscriptum,


—memori non excidet avo.

Quod si omninò immortalis SALCIO vel vox nostra defu-  
it: ad laudem pertinentia prætermisit multa (quod fate-  
mur factum) ipsa se tamen Virtus proripit; sit vocalis; sit  
sonora dignitatis suæ prædicatrix:

*Psal. 112.* *v. 6.* Cunctaq; tempus edax rerum cum deleat annis;  
justus subinde emerget; non jacebit inglorius:

—nec dies

Suprema famam condet ejus invido  
Olivii silentio.



CASPARIS DORNAVI

ad

PANEGYRICI AUDITORES  
INVITATIO.

SALCIADUM de gente satus, pronuper, HIOBUS  
Corporis exuvias telluris in ima posuit.  
Quis fuerit, quæris? Tulit illum Lufatis ora,  
Illustrem meritis, & Avitæ Stirpis honore.  
"Laus Prima est, nasci sine gentis sorde pudenda.

Ille etiam, Magnorū haud unquam indignus Avorū,  
Combibit illines latices, Aganippidos undas:  
Sed magis Israël purpureo de flumine nectar.  
Herculis in bivio nunquam furiosa securus  
Castra Voluptatis; stadium Virtutis & orbem  
Impiger emensus, vario luctamine vitæ.  
"Exegisse probè vitam; est gradus alter Honoris.

Porrò idem calidas inter lachrymasq; precesq;,  
Æquoris enavit fluctus, mundi q; procellas  
Innocuus; patrio adscriptus novus incola cœlo:  
Et tamen est vivax terris super, alite Famâ.  
"Obdormire piè, est vitæ prosperrima pausa.

At nos SALCIADÆ magis altâ indagine mentis  
Lustremus Virtutis opus: cum crastinus axe  
Efferet Hesperio rutilantia lumina Titan;  
Et mane octavam radio signaverit horam.

Vos, quibus est pietas cordi; quibus æmula Virtus,  
Alloquor, Aonii proceres, mystæq; Minervæ;

Este



Este mihi faciles; linguisq; animisq; favete;  
 Excipite ingenuo dicturi effamina vultu:  
 Quando pii Manes venerabimur ore Dynastæ.  
 Te quoq; , lecta cohors, Clarias sectata sorores,  
 Nepigeat mentes adferre auresq; vacivas:  
 Ut nòris, quâ parte Bonis patet area cœli.  
 „Felix, quem faciunt sapientem exempla Bonorum!

Errata.

*A. 4. lin. 27. l. introduxerit. B. 2. lin. præfct. D. 2. lin. 13.*  
*vifitans. D. lin. 10. congefserat.*



CASPARIS DORNAVI  
**EVERGETES**

CHRISTIANUS,

hoc est,

**DE VITA ET MORTE**

ILLUSTR. ET GENEROS. DOMINI,

**DN. GEORGI à SCHÖNAICH,**

LIB. BARONIS BETHANIE, CAROLATI,  
 AMPTICI, MILCAVIÆ, NENKERSDORFI &c.

SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIARI,  
 AITNA PER UTRAMQUE SILES. ET  
 LUSATI, CANCELLARI

TINTOP DO &c. MITJU

**PANEGYRICUS PARENTALIS,**

DIE ALTERO EXSEQUIARUM

D. I. C. M. T. U. S.

TPIS. JOHANNIS DORFFERI

TYPOGRAPHI SCHÖNAICHIANI,

BETHANIE AD VIADR.